



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum contra canonicos non denunciantes absentiam Episcoporum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

ultra tres menses, etiam interruptos, sine causa legitima; vel si legitima, non tamen a Beatissimo summo Pontifice, vel ab Illustriss. Amplit. tua approbata, & absentiae facultas data sit, in praemissis poenis ad praescriptum decretorum mulctari & puniri: necnon instamus, vt Illustriss. Amplit. tua, ad quam cum Concilio hoc Prouinciali sexto spectat, de licentijs etiam a suffraganeo datis iudicet, ad praescriptas illas duas sanctiones Concilij Trident. in sessione sexta, & vigesimatertia, capite primo relatas, quas sanctiones exhibemus.

Lectumque fuit decretum Conc. Tridentini.

Illustriss. Metropolitanus super petitis & propositis per RR. Promotores causa non residentium Episcoporum ita decreuit.

Decretum de residentia Episcoporum.

Decernimus, de Episcoporum, qui ultra tres menses, siue continuos siue interruptos, a residentia absuerint contra praescriptum Concil. Trid. absentia huiusmodi inuestigari, & ex sacrorum canonum iure, praesertimque ex praescripto illorum decretorum agi.

Insuper RR. Promotores, in proposita materia residentiae Episcoporum insistente, institerunt contra canonicos non referentes Illustrissimo Metropolitana de absentia Episcoporum a suis ecclesijs.

Instantia Reueren. Promotorum contra Canonicos non referentes absentiam Episcoporum.

Illustrissime & Reuerendissime Metropolitanae, Instamus praeterea tres primos de capitulo cuiuscunque Ecclesiae Cathedralis huius Prouinciae, qui Illustrissimam Amplit. tuam, de absentia, & de tempore absentiae Episcoporum Prouincialium qui absuerint, non monuerunt, mulctari ad praescriptum Concilij Prouincialis primi; Ac propterea iam nunc petimus atque instamus, literas contra eos decerni, ad afferendam causam, quare ad eiusdem Concilij praescriptum mulctari non debeant.

Decretum contra Canonicos non denunciantes absentiam Reuerendissimorum Episcoporum.

Decernimus contra eosdem de capitulo, literas oportunas, & vt iuris fuerit, contra eosdem ex praescripto primi nostri Concilij Prouincialis agi.

Postremo Reuerendi Promotores, ad quorum aures peruenit de inobseruantia decretorum, quae ad reformationem disciplinae ecclesiae, & ad corruptos mores populorum componendos pertinent, ac item de abusibus plurimis, qui quotidie in hac prouincia Mediolanensi pullulant; super his memorialia confecerunt, ac Illustrissimo Metropolitana exhibuerunt, vt conciliaribus sanctionibus ijs incommodis opportunè consuleretur.

Illustriss. Metropolitanus acceptis animaduersionibus RR. Promotorum exhibitis, vna cum mox recitata instantia, vt congregatio de more concluderetur, mandauit ad praescriptum tabellae; & ordinis in superioribus seruati, omnes sigillatim vocari. Vocati igitur fuerunt per Cancellarium distinctè & sigillatim: & cum nullus comparuisset, Illustriss. D. statim gratiarum actionem egit, & congregatio dimissa ac absoluta est.

Sessio secunda.

IN nomine Domini, Anno a Natiuitate eiusdem millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, feria quinta, decimasextima mensis Maij, Indictione decima, Pontificatus Sanctissimi D.N.D. Gregorij Papae decimi tertij anno vndecimo.

Illustrissimus & Reuerendissimus in Christo pater & D.D. Carolus &c. Sessionem secundam Concilij Prouincialis sexti in superiori prima sess. indictam, infra scriptis Reuerendiss. Episcopis Reuerendo Capitulo, ac clero vniuerso Metropolitanae comitantibus, summo mane, hora scilicet nona, Cappa rubra Pontificali indutus, ad Basilicam Metropolitanam accessit: perorataque ista prece,